

vitâ solitariâ familiaria, toleratum non tantum senis cum juvenculâ,
sed & vetulæ cum juvene conjugium §. 31.

§. XII.

In statu corrupto 3.) affectibus eorundemque vehementiæ
aliquid dandum fuit. Hinc ex justo maximòque dolore §. 31. li-
cuit adulterum in ipsò factò deprehensum interficere.

§. XIII.

Tandem in statu corruptò 4.) favendum est superioribus, ut
eò facilius bonum ordinem, ipsorum beneficio, conservemus.
Hinc Parentibus §. 32. in liberos, Dominis §. 33. in servos, utrisque,
tanquam superioribus multum, imò verò nimium, fuit indultum;
undè mores nostros, quibus aliud hodiè receptum est, laudavimus
d. l.

§. XIV.

Nempè tantum, ubi necessitas aut minimum utilitas certa
atque magna adest, non pro injustis omninò habendi sunt Legisla-
tores humani, si in juribus suis fortissimarum illarum persuasionum
habeant rationem. Quamquam & hîc rectius faciunt, si prius ten-
tent omnia, ut à rigore Juris N. secedere ne habeant necesse. Ex
hâc causâ, si quisquam, jure laudatur *Aratus Sicyonius*, qui, cum
ejus civitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus
Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est potitus: cumque ty-
rannum *Nicoclem* improvisò oppressisset, sexcentos exules, qui fue-
rant ejus civitatis locupletissimi, restituit: Remque publ. adventu
suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis &
possessionibus difficultatem, quod & eos quos ipse restituerat,
quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur,
& quinquaginta annorum possessiones movere, non nimis æquum
putabat; propterea quod tam longò spatiò multa hereditatibus,
multa emptionibus, multa dotibus detinebantur sine injuriâ:
judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum
illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem
constituendam pecuniâ, *Alexandriam* se proficisci velle dixit,
remque integram ad reditum suum jussit esse: isque celeriter ad
Ptolomæum, suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post
Alexandriam conditam: cui cum exposuisset, patriam se liberare
velle, causamque docuisset, à rege opulento vir summus facile im-
petra-